



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XI. De Scientiâ per se infusâ Animæ Christi. In sex Articulos
diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

In causis naturalibus non latent infinita species substantiarum.

Latent in eis infinita individua, que tamen nequeunt distincte in eis cognosci.

Prior pars Probatur, Quia in Verbo cognoscit omnia quæ sunt in potentia creaturæ: atqui hæc sunt infinita: ergo cognoscit infinita in potentia. Sed aduerte, hanc rationem non videri omnino firmam. Primò, Quia credibile est virtute causarum naturalium, non posse fieri infinitas species substantiarum: feminum enim diuersitas finita est. Quæ verò ex putri materia gignuntur, etiam finita esse videntur. Neque videntur hæc infinitis modis posse misceri; quia ferè omnibus sæculis eadem proueniunt, & pauca noua emergunt. Deinde; Quia alioquin Angeli naturaliter infinita actu cognoscerent; nam comprehendunt virtutem cælorum & elementorum. Individua quidem quæ in potentia creaturæ continentur, infinita sunt; sed non ex eo, quod vis creaturæ comprehenditur, etiam omnia, quæ ab illâ produci possunt, distincte cognoscuntur; alioqui Angeli etiam naturaliter cognoscerent infinitum. Ratio est; Quia indiuiduatio pendet etiam ab influxu diuino; & fortè à determinatione diuinæ voluntatis. Ideo enim agente igne, hic potius ignis, quàm ille emicat; quia præter causas & circumstantias creatas, quæ ad indiuiduationem, vel directè vel occasionaliter concurrunt, etiam Deus tali influxu concurrat; & fortassis decernit sua voluntate, vt hoc potius, quàm illud indiuiduum fiat.

12. Secunda pars Probatur: Numerus omnium substantiarum, quæ vmquam futuræ sunt, est finitus; nam ortus & interitus finem capient: ergo Christi Anima non cognoscit in Verbo infinitas substantias actu existentes. Hinc sequitur iuxta

D. Thomam Christi Animam simplici intelligenti, quæ est possibilium, cognoscere infinitas substantias, non tamen scientiâ visionis. Fortè tamen non vult illas infinitas substantias omnino distincte cognosci, sed confusè; pro vt fas est creaturæ. Sicut quando cognoscitur vniuersale, cognoscuntur quodammodo infinita: vt insinuat ad 2.

Explicatur D. Thomas de cognitione scientiæ infusæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Anima Christi clariùs videat diuinam essentiam, quàm alia quauis creatura?

13. Respondetur affirmatiuè. Ratio est, Quia est coniuncta Verbo hypostaticè: ergo oportet vt clariùs cernat ipsum Verbum, quàm quauis alia creatura, non tam arcè coniuncta. Notandum est, Sicut gratia habitualis Animæ Christi, est summa secundum potentiam ordinariam, vt supra dictum est; ita & lumen beatificum, & visio beatifica est summa secundum eandem potentiam. At iuxta potentiam absolutam potest dari perfectius lumen, & perfectior visio; nam hæc, sine termino possunt augeri. Vnde fallitur Caietanus, dum existimat visionem beatificam Animæ Christi esse summam, iuxta potentiam absolutam. Vtrum autem Angelus cum eodem lumine perfectius esset visurus Deum, quàm Anima Christi, non est huius loci.

Q V Æ S T I O X I.

De Scientia per se infusa Animæ Christi.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum per Scientiam infusam Christus omnia nouerit?

1. Respondetur affirmatiuè: Christus omnia naturalia & supernaturalia cognouit per scientiam infusam; exceptâ tamen essentia diuinâ.

DVBIVM I.

Vtrum Anima Christi per hanc Scientiam infusam cognouerit res omnes naturales; corporales scilicet & spirituales, quas Angeli per suam scientiam naturalem cognoscunt?

2. Affirmatur de rebus omnibus naturalibus.

2. Respondeo; Illam has omnes cognouisse, & quidem perfectius quàm Angeli cognoscunt. Ita D. Thomas hoc loco, & passim Doctores huius ætatis: & Marsilius in 3. Sentent. quest. 10. art. 2.

Probatur Primò, Quia si per solam naturalem scientiam Anima Christi ista cognouisset, longè

fuisset superata ab Angelis in cognitione rerum in proprio genere, siue extra Verbum: nam Angelorum cognitio naturalis erat longè perfectior, quàm cognitio naturalis Animæ Christi; vt suppono tamquam certum: atqui id minimè erat conueniens: quin potius sicuti cognoscebat eas in Verbo per cognitionem matutinam perfectius quàm Angeli; sic omnino erat consentaneum, vt etiam cognosceret eas in proprio genere per cognitionem vespertinam perfectius quàm Angeli.

Probatur Secundò, Hęc cognitio infusa rerum naturalium facile dari poterat illi animæ, & quidem in ea perfectione, vt superaret cognitionem Angelicam, idque illi quodammodo erat debitum: ergo re ipsa erat collatum. Confirmatur; Sicut enim voluntati datur virtutes supernaturales respectu eorundem obiectorum, ad quæ disponitur virtutibus naturalibus; ita intellectui potest conferri lumen supernaturale euident, ad eadem obiecta cognoscenda, quæ naturali lumine cognoscuntur. Nam idem obiectum materiale, respectu diuersi luminis, subit diuersam rationem formalem: vt patet in obiecto sensus & intellectus; in obiecto intellectus humani & Angelici. Pari modo in obiecto luminis naturalis & supernaturalis.

Ex his

3
Singularia
existentia
cognovit
intuitiue.

Ex his sequitur, Christi Animam per hanc scientiam intuitiue posse cognoscere queis singularia actu existentia: omnesque eorum actiones internas & externas naturales, siue ad hoc necessariae sint species, siue non, vt recte hic docet D. Thomas. Ratio est; Tum, quia Angeli possunt hanc intuitiue cognoscere, exceptis cordium cogitationibus: tum, quia haec cognitio est necessaria ad perfectam prudentiam & prouidentiam, quae uisatur circa singulari. Atqui in Christo est prudentia & prouidentia uniuersalis circa res omnes quae sunt in mundo; omnia enim sunt ipsi subiecta. Psal. 8. & Matth. ultimo. Et ipse est omnium iudex.

DVBIVM II.

Utrum Christi Anima per hanc Scientiam cognoscat res supernaturales?

4
Cognovit
supernaturales.

Respondeo; Cognoscere clare & intuitiue omnes res supernaturales; siue substantia, siue modo solum tales sint: Excipio tamen diuinam essentiam. Itaque uidet omnia dona supernaturalia infusa, eorumque actus &c. Colligitur hoc ex D. Thom. & est communis DD. huius aetatis.

Probatur; Nam haec cognitio est possibilis extra Verbum; estque valde consentanea, & quodammodo necessaria Christo: ergo hanc habet. Quod sit possibilis patet; quia haec res omnes sunt creatae & finitae: ergo possunt per proprias species representari, uel per se ipsas immediatè (cum sint spirituales, instar specierum intelligibilium) cum intellectu concurrere. Vnde ex parte obiecti non est difficultas. Sed neque ex parte potentiae: quia facile est Deo dare lumen creatum eiusdem ordinis, quo res istae uideantur. Quod autem sit Christo debita, patet; quia ipse nobis omnium bonorum supernaturalium est auctor: Est enim *Auctor fidei & consummator*, ad Hebr. 12. v. 2: ergo non potest hanc dona ignorare.

5
1. Obiectio
soluitur.

Sed contra Obijcitur Primò, Gratia est participatio diuinæ naturæ: ergo non potest secundum essentiam cognosci, nisi cognita diuinæ naturæ, quæ solâ uisione beatificæ cognoscitur: ergo nec gratia sine hac cognosci potest.

Cognita
clare gratia
non necessario
clare cognoscitur
diuinæ
essentia.

Respondeo; Sufficit diuinam naturam cognosci confuso quodam modo, & cognitione abstractiua, ut clare cognoscatur gratia. Ratio est; Quia gratia non habet ordinem ad diuinam naturam, ut ad causam intrinsecam; sed solum tamquam ad causam efficientem & exemplarem, quæ sit quodammodo eiusdem ordinis; cum qua, ipsa gratia magnam conuenientiam habeat. Talis autem participationis cognitio non pendet à cognitione formæ seu exemplaris, cuius est participatio: ut patet in lumine aëris, quod hoc modo est participatio lucis solaris; potest tamen secundum essentiam cognosci, etsi non cognoscatur clare essentia lucis solaris. Idem dicendum de participatione reliquarum perfectionum diuinarum, Intellectus, Voluntatis, Sapientiae, Charitatis, Iustitiae &c. Et Confirmatur; Quia ad cognitionem imaginis, non est necessaria clara cognitio exemplaris; imago enim ducit in cognitionem exemplaris, non autem pendet ex illo eius cognitio.

Obijcitur Secundò, Saltem visio beatifica co-

gnosci non poterit, nisi simul cognita diuinæ essentia; quia immediatè ad eam tamquam presentem terminatur. Respondeo; Illam uisionem, etsi habeat essentialem respectum ad diuinam essentiam, tamquam ad obiectum praesens; tamen quia est res omnino distincta ab illa, & in sua specie finita, potest in se uideri, non uisâ essentia. Nec eius habitudo ad obiectum, ita pendet in cognitione ab obiecto, ut non possit sine obiecto uiso uideri; sufficit enim obiectum, in ea, tamquam in quadam sui imagine abstractiue cognosci. Quod confirmatur; Quia Angelus potest uidere uisionem oculi mei, non uiso eius obiecto. Similiter actus fidei & charitatis uideri possunt non uisâ obiectis, sed solum abstractiue cognitis.

2. Obiectio
soluitur.

Idem dicitur de
uisione
beatificæ.

Vnde aduertendum est, Quomodo Beatum tripliciter uidere suam uisionem beatificam. Primò, Ipsâ uisione beatificâ, in Verbo, ut in causa. Secundò, Uisione eadem, quatenus ipsa concomitanter est uisio sui, seipsam menti manifestans: nam omnis actus intellectus perfectus, seipsum manifestat; eò quod implicite super se reflectatur. Sicut enim amans, eodem amore amat Deum, & uult amare, ita uidens, eodem actu uidet Deum, & uidet se uidere. Tertio, Potest eandem uisionem uidere actu distincto, per lumen scientiae infusa. Nec opus est specie intelligibili: nam uisio ipsa beatifica est obiectum intelligibile intem praesens; ac proinde per se cum intellectu ualens cooperari. At uisionem beatificam quæ est in altero, potest uidere dupliciter: Primò, In Verbo. Secundò, In sua natura per scientiam infusam.

7
Tripliter
beati uidet
suam bea-
tificam ui-
sionem.

Addo tamen hanc uisionem non posse comprehensiuè cognosci, nisi uisâ essentia. Quia habet perfectissimam & immediatam habitudinem ad diuinam essentiam, tamquam ad suum terminum; quæ habitudo, eò perfectius cognoscitur, quò perfectius cognoscitur eius essentia, ut est eius terminus. Idem ferè dicendum uidetur de unione hypostatica, qua parte est quiddam creatum in naturâ humanâ; non enim sine Verbi uisione potest comprehendi: eius tamen natura & ratio utrumque uidetur cognosci posse per scientiam infusam; quia est quid creatum, & in se finitum: Sicut color, & eius inexistencia in lapide pretioso, clare cognosci potest, non cognita clare naturâ subiecti. Nec obstat quod hæc unio non possit comprehendi etiam uisione beatificâ: quia hoc intelligendum, quatenus includit unione, quæ est ex parte Verbi, quæ comprehensiuè cognosci non potest; cum à Verbo reipsâ non distinguitur.

8?
Nec uisio
beatificæ
neque unio
hypostatica
comprehendi
possunt
non uisâ
essentiâ.

DVBIVM III.

Utrum Anima Christi per Scientiam infusam cognouerit cordium cogitationes?

9
Cognovit
cordium
cogitationes.

Respondeo; Cognouisse clare & intuitiue omnes cordium cogitationes, & omnes actus liberos internos & externos creaturarum, dum actu fierent. Est communis sententia Doctorum dist. 14. & D. Thomæ hic.

Probatur; Quia hæc cognitio non est valde difficilis: nam ad cognoscendos actus liberos, & mentis arcana, non requiritur maius lumen aut perfectio ex parte potentiae, quàm ad cognoscendum com-

G g iij , dum com-

dum comprehensivè substantiam, potestas, & habitus Angelorum & Animarum: Patet ex dictis in Prima parte; sed solum ex parte obiecti requiritur representatio illorum per species intelligibiles, quas Anima Christi facile poterat diuino munere accipere. Deinde, Hæc cognitio valdè erat consentanea & quodammodo debita Christo. Primò, Ob dignitatem Personæ. Secundò, Propter fidei prædicationem, quam sæpè confirmabat ostendendo se cognoscere aliorum cogitationes. Tertiò, Quia erat Caput & Iudex omnium, cuius intererat nosse omnium cogitationes. Vnde etiam nõ debebat in hoc dependere ab aliorum locutione, sicut Angeli.

Dices; Christus cognouit has cogitationes per scientiam beatificam; quid ergo opus est illas rursus per aliam scientiam cognoscere extra Verbum? Respondeo, Quia non solum debebat illas cognoscere vt Beatus, sed etiam vt degens cum hominibus, hominesque docens; vt supra dictum est.

DVBIVM IV.

Vtrum per hanc Scientiam cognouerit mysteria Diuinitatis?

10
Mysteria
Diuinitatis.

Respondeo; Eum per hanc scientiam cognouisse euidenter ea quæ ad diuinam naturam, & personarum distinctionem pertinent; non tamen intuitiue.

Vbi notandum est, quædam mysteria pertinere ad Deum, vt Vnus est; quædam, vt Trinus. Rursus, Quæ ad eum pertinent, vt Vnus est, sunt duplicia: quædam enim pertinent ad eum, vt est Auctor naturæ; vt, esse Vnum, Creatorem, Omnipotentem; & similia. Et hæc possunt cognosci ex rebus naturalibus, vt patet ad Romanos 1. vers. 20. Alia autem pertinent ad eum, vt est auctor gratiæ, & finis supernaturalis; vt, quod sit obiectum beatitudinis clarè visibile, quod sit auctor gratiæ & gloriæ. Et hæc cognoscuntur à Christo per effectus supernaturales, quos ipse per scientiam infusam perfectè & clarè intuebatur. Hoc tamen modo Angeli non cognoscunt Deum scientiâ naturali; quia non cognoscunt effectus supernaturales. Hæc cognitio est longè præstantior fide; quia est supernaturalis, & euidentis.

11
An cognouerit
Mysterium
Trinitatis.

Sed difficultas est: Quomodo per hanc scientiam cognouerit mysterium Trinitatis: non enim satis est vt cognouerit illud visione beatifica; quia oportebat vt etiam cognosceret illud, vt viator confors viatorum. Et Confirmatur; Quia aliqui, vt viator non potuisset amare & venerari singulas Personas distinctè, ipsique gratias agere: neque orare Patrem; nec instruere hominem de hoc mysterio. Latiùs quoque fides nostra se extendisset, quàm cognitio supernaturalis, quæ ei, loco fidei data erat.

Negatur de
solutiua
abstracta.
Etiam quid
dicitur
cognitione.

Dicendum igitur est Primò, Eum non cognouisse Trinitatem intuitiue per hanc scientiam; quia intuitiua est beatifica. Secundò, Nec etiam abstractiue, cognoscendo quidditatem singularum Personarum: nam ad hanc videtur requiri lumen gloriæ; sicut & ad cognitionem diuinæ essentiæ abstractiuam. Nam eiusdem rationis est lumen, quo essentia aliqua perfectè cognoscitur cognitione abstractiua, & quo intuitiua; vt patet

in Angelis. Quòd si lumen scientiæ infusæ, non distinguatur à lumine gloriæ realiter, existimo non implicare, vt essentia diuina & personæ clarè & distinctè cognoscatur abstractiue, ita tamen vt per eandem cognitionem non cognoscantur intuitiue: quamuis existimem nemini talem cognitionem dari; quia est imperfecta in suo genere, quando lumen est præsens; & etiam superflua, cum visio abundè sufficiat.

Tertiò, Cognouit tamen hoc mysterium multis alijs modis per hanc scientiam infusam. Primò, Quia perfectissimè intelligebat Scripturas, & sensum à Spiritu sancto intentum; eratque ei euidentis eam esse diuinitus reuelatam: atqui in Scripturis continetur mysterium Trinitatis. Secundò, Euidenter cognoscebat naturam fidei & actuum eius: vnde etiam illi euidentis erat illam fundari in testimonio diuino, nec posse esse falsam: proinde euidenter cognoscebat quidquid per illam erat creditum esse verum. Sed hi duo modi continent euidentiam tantummodò in testimonio diuino. Tertiò, Christus per scientiam

12
Affirmatur
de varijs
alijs modis.
1. Modus.

2. Modus.

3. Modus.

beatam euidenter cognoscebat Trinitatem; ac proinde per lumen naturale & infusum, non poterat hoc mysterium ignorare: quia quod intellectus altiori cognitione apprehendit, potest etiã inferiore sibi formare. Hinc ita erat illi euidentis mysterium Trinitatis, vt non posset ambigere, etiamsi per impossibile visio beatifica cessasset. Sicut alibi diximus de Paulo, qui si vidit diuinam essentiam in raptu, dum transijt illa visio retinuit nihilominus euidentem cognitionem huius mysterij ex vi prioris cognitionis, tamquam ex clara quadam experientia. Quarto, Probabile est Christum Dominum per scientiam infusam, potuisse euidenter cognoscere actum visionis beatificæ; ac proinde obiectum huius actus, scilicet mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Sicut Angelus, quia cognoscit actum internum alterius, etiã cognoscit illud esse verum, quod per illum actum indicatur, si in illo non possit esse error. Quintò, potuit Deus hoc mysterium immediatè reuelare mæ Christi per quadam spiritualem locutionem, efficiendo vt perfectissimo modo per species infusas ex analogia creaturarum illud apprehenderet: quam locutionem seu reuelationem Christus euidenter intuebatur, & cognoscebat esse diuinam, quamuis hic modus fortè necessarius non fuerit.

4. Modus.

5. Modus.

DVBIVM V.

Vtrum per hanc Scientiam cognoscat etiam futura contingentia.

Respondeo, cognoscere non solum quæ ex causis naturalibus, sed etiam quæ ex liberis pendent. Est communior sententia Doctorum. D. Thomæ hic, quamuis in 3. dist. 14. quæst. vniuersalis art. 3. tenuerit contrarium. Durandi dist. 14. q. 13. Scoti ibidem. Marsilij quæst. 10. art. 2. & passim omnium hoc tempore.

Probatur; quia ista cognitio potest haberi à viatore: vt patet in multis Prophetis, qui futura clariùs aut obscuriùs præuiderunt. Ergo consentaneum est, vt Christus tamquam viator, omnium futurorum euidentem prænotionem habuerit; præsertim cum hæc cognitio sit necessaria ad perfectissimam

13
Cognoscat
futura
libera.

fe&issimam prudentiam, & ad perfectum donum prophetia.

14
Non tamen
intuitiue.

Sed difficultas est de modo quo ea cognouit ! Respondeo & Dico Primò; Non intuitiue. Neque enim propter realem presentiam futurorum in aternitate; vt quidam volunt: nam implicat vt sint realiter presentia aternitati per co&istentiam, nisi existant in proprijs mensuris. Neque etiam propter presentiam obie&tiua in aternitate: nam esse obie&tiue presens, nihil est aliud, nisi cognosci. Vnde dicere illa cognosci quia obie&tiue presentia, nihil est aliud, quam dicere, ea cognosci, quia cognoscuntur, seu scientia obijciuntur: quod est petere principium. Neque etiam propter representationem specierum: nam species ex se non magis representat rem esse futuram, quam non esse futuram; sed abstrahit ab vtroque: vt patet in speciebus Angelicis. Vnde quòd futura videantur, non tam ex vi representationis specierum, quam ex efficacia luminis dependet; vel potius ex peculiari influxu diuino, qui nullà vi creatà potest suppleri.

15
Sed abstrahit
à se.

Dico Secundo; futura per hanc scientiam cognosci abstrahitiue; non tamen ex vi representationis specierum. Quia etsi possint per species apprehendi sicut sunt futura, non tamen iudicari vt rùm ita futura sint. Cùm enim id quod apprehenditur, non est notum ex terminis, debet ex aliquo medio diiudicari, an ita sit, an non. Quod medium vel est causa illius, vel effectus, vel signum aliquod habens necessariam connexionem cum futuris: atqui nulla est talis causa futurorum, nec effectus, nec signum, præter testimonium eius, qui ea videt.

In testimo-
nio diuino.

Vnde Dico Tertio, Per hanc scientiam cognosci futura in testimonio diuino, quod illi erat euident. Poterat enim Deus facere, vt apprehenderet futura cum suis circumstantijs: & quia illi euident erat hanc apprehensionem, per diuinam locutionem fieri; etiam euident erat, id quod apprehendebatur, verum esse; & tali modo, loco, tempore futurum. Addo; fortè etiam per hanc scientiam futura cognosci in ipsa visione beatifica, qua cognoscebat res futuras in Verbo; nam videbat suam visionem: vnde probabile est, etiam seuisse quid, & cum quibus circumstantijs videret futurum. Sicut si quis in Deo vidisset futura, cessante illà visione posset cognoscere nihilominus illa esse futura; & illa visio haberet se per modum experientia; quâ futura tamquam præterita iam esset expertus.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus hac Scientiâ vti potuerit, non conuertendo se ad phantasmatà?

16
Non debuit
vni phan-
tasmatè
ad hanc
scientiam.

Respondeatur affirmatiue. Primò, Quia per hanc scientiam cognoscebat substantias spirituales clarè, & intuitiue: atqui perfecta cognitio spiritus, nullam habet dependentiam aut còsensionem cum sensuum internorum vel externorum operatione: ergo &c. Secundo, Quia per hanc scientiam cognoscebat substantias corporales, non vt manifestantur ex sensibilibus, seu conceptu sensibilibus; sed purè & nudè, vt sunt

in seipsis: ergo non pendeat ab vsu sensuum. Tertio, Quia species huius scientia, non erant hausta ex visis phantasie, neque similes illis, quae inde formantur; sed altioris ordinis, & naturâ suâ infusæ: ergo &c.

17
Obiectio
Durand.

Dices, Anima quamdiu est in corpore, postulat vt ad cognitionem intellectiuam concurrat imaginatiua; nec potest sine miraculo aliquid intelligere, nisi id ipsum per imaginationem formet: ergo Christus quam diu erat in corpore mortali, pendeat in vsu huius scientia à cooperatione phantasie. Ob hoc argumentum Durandus in 3. dist. 14. quaest. 3. num. 7. tenet Christi Animam nõ potuisse vti scientiâ infusâ sine conuersione ad phantasmatà; ac proinde non antea quam còparasset ea sibi naturaliter ex rebus sensibilibus.

Refellitur.

Sed hæc sententia non est probabilis. Patet, tùm ex argumentis allatis: tùm, quia Christus ab initio conceptionis hæc scientiâ vsus fuit: nam per eam omne meritum ipsius regulari debebat; meruit enim ab initio. Atqui tunc non poterat naturaliter species phantasie comparare: tùm, quia non dependere à phantasia, est longè perfectius; nam hæc dependentia ab imbecillitate luminis prouenit. Atqui hæc sententia in Christo erat perfectissima, nec vllam talem dependentiâ postulat: ergo non debebat hanc imperfectionem à subiecto trahere.

18
Potuit ta-
men phan-
tasmatà
ad eam ap-
plicare.

Ad Argumentum, Respondeo Primò: Etsi cognitio naturalis in hac vita dependeat à phantasia cooperatione, non tamen cognitio supernaturalis perfecta & clara: nam procedit ex lumine quod perfectum est in vi intelligendi; nec habet illam imbecillitatem quæ est in lumine naturali nostri intellectus. Deinde, quia postulat species sublimiores, quæ res ipsas nudè & distinctè representent. Resp. Secundo, Animam beatam habere hanc vim vt possit sine dependentiâ à sensibus intelligere; vnde cùm Anima Christi fuerit ab initio beata; etiam hanc vim habuit.

Aduerte tamen, Christum per hanc scientiam potuisse applicare vim imaginatiuâ ad perfectionem apprehensionem, & cognitionem rerum sensibilibus, quam ipsa per se præstare possit. Sed hoc proueniebat ex perfectione huius scientia; non autem quod tali applicatione ad intelligendum egeret. Et sic intellige quod ait D. Tho. ad 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum hac Scientia fuerit collatiua?

Respondeo D. Thomas: hæc scientia in vsu poterat esse collatiua seu discursiua; non tamen fuit acquisita per discursum, sed infusa.

19
Hæc scientia nõ fuit discursiua.

Vbi Notandum est, hanc scientiam ex naturâ suâ non fuisse discursiuam, nec eguisse compositionem vel diuisionem; sed simplici intelligentiâ penetrasse omnia, multò perfectius cognoscendo conclusiones in principijs, & effectus in causis, quam per lumen Angelicum cognoscantur. Ratio est, quia lumen huius scientie erat efficacius, quâ angelicum, & ytebatur speciebus vniuersalioribus: atqui hæc est causa cur Angeli non egeant discursu, compositione, aut diuisione: ergo &c.

Gg iij Con-

Confirmatur, Quia comprehendebat naturas omnium rerum creaturarum per hanc scientiam: ergo etiam videbat in illis omnes effectus. Vnde etiam sequitur propriè loquendo non potuisse vti discursu per hanc scientiam, scilicet eo modo quo nos: Quia eodem conatu ferebatur in causas & effectus, & eorum connexionem. Etsi enim erant fortè plures actus, quibus cognoscebat causam, & effectus, & horum connexionem; tamen censebantur vnus: nam alter ex altero necessariò resultabat. Vnde quod hîc dicit D. Thomas hanc scientiam potuisse esse collatiuam, intellige de discursu impropiè dicto.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hac Scientia in Christo fuerit maior, quàm sit Scientia Angelorum?

20
Fuit perfectior Angelicâ scientiâ.

Respondetur; Hanc scientiam fuisse perfectiorem scientiâ Angelicâ; tum, ratione claritatis, & certitudinis (est enim in suo ordine, scilicet supernaturali clara & perfecta:) tum, ratione multitudinis obiectorum; quia extendit se etiam ad obiecta supernaturalia. Hinc sequitur hanc scientiam fuisse essentialiter perfectiorem omni scientiâ, quæ intellectui humano vel Angelico possit esse naturalis: quia nullâ scientiâ naturali creaturæ, possunt euidenter cognosci secreta cordium, mysteria gratiæ, & futura contingentia; quæ tamen per scientiam infusam cognoscuntur.

21

Dices; Hinc quidem sequi illam esse perfectiorem Angelicâ, qua parte versatur circa non naturalia, non tamen qua parte versatur circa res naturales. Vnde quidam existimant hanc scientiam, ex hac parte, non fuisse perfectiorem scientiâ Adæ. Sed hoc omninò fallum est: Adam enim non cognoscebat perfectè naturam Angelicam; sed ea dumtaxat quæ naturalem caprum intellectus humani non excedunt; vt sunt corporalia; spiritalia autem valdè imperfectè. Christus autem perfectè cognoscebat omnes substantias spirituales. Deinde Christus per hanc scientiam cognoscebat supernaturalia: ergo per idem lumen superioris ordinis penetrabat etiam veritates naturales altiori modo quàm homo vel Angelus. Patet consequentia, Quia sicut eandem veritatem altiori modo cognoscit Angelus, quàm homo, eo quòd habeat altius lumen; ita Christus cum haberet sublimius lumen quàm Angelus, nempe supernaturale; cognoscebat etiam veritates naturales altiori modo, quàm Angelus vel homo. Quòd autem D. Thomas hîc addit hanc scientiam fuisse imperfectiorem Angelicâ, quantum ad modum cognoscendi naturalem animæ humanæ, qui est per conuersionem ad phantasmata, & per discursum; difficile est ad intelligendum.

Etiam circa naturalia.

ARTICVLVS V.

Vtrum hac Scientia fuerit Habitualis?

22
Fuit habitualis.

Respondetur; Non solum actus, sed etiam habitus scientiæ infusæ Christo inerat. Ita

D. Thomas hîc, & communior sententia Theologorum dist. 14. in 3. Ratio est; Quia alioquin ipsius intellectus non fuisset intrinsecè potens, nec habuisset debitam proportionem ad actus huius scientiæ; nam hæc potentia & proportio est per habitum. Confirmatur, Quia hæc scientia erat supernaturalis: atqui ad actus supernaturales non habemus perfectam potentiam, nec debitam proportionem, nisi per habitus, quibus illi actus sunt connaturales.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hac Scientia fuerit distincta per diuersos Habitus?

Notandum est; In hac scientiâ tria posse considerari. Primum est, Lumen intellectuale, seu habitus, se tenens ex parte potentia, quo potentia completur & redditur efficax. Secundum est, Species intelligibilis representans obiectum, eiusque locum seu præsentiam supplens. Tertium est, Actus seu operatio. Quæ tria etiam suo modo in scientia beatifica reperiuntur.

23

Dico Primò; Hæc scientia infusa, erat distincta secundum multas species intelligibiles. Est communior sententia Doctorum, præter Marfilii q. 10. art. 2. qui putat in hac scientia tantummodo vnicam speciem intelligibilem fuisse, quæ posset omnia representare. Sed contrarium est longè probabilius. Primò, Quia per hanc scientiam Christus intuetur res diuersissimas; naturales, supernaturales, spirituales, corporeas; idque in omnibus rerum generibus: Atqui videtur excedere conditionem speciei creatæ, vt vna existens, hæc omnia, distinctè vt in se sunt, secundum omnes suas differentias representet; hoc enim videtur proprium diuinæ essentia. Secundò, Quia hæc scientia debebat esse minùs simplex quàm beatifica, cum sit inferior: ergo per plures species distincta. Tertio, Quia vna scientia per vnam speciem potest habere actum adequatum illi speciei, vt communior sententia Doctorum tenet: At Christum per hanc scientiam non cognoscebat omnia vnicò actu, vt suppono: ergo non conueniebat vt haberet vnicam speciem.

Distincta secundum multas species.

Dico Secundò, Hæc species erant perfectiores & vniuersaliores, quam species intelligibiles Angelorum, etiam supremorum; ac proinde pauciores. Est communior sententia Doctorum. D. Tho. in 3. d. 14. a. 3. quæstion. 4. etsi hîc contrarium teneat. Richardi eadè dist. & passim recentiorum. Scotus vult eas fuisse perfectissimas, quæ per diuinam potentiam fieri possunt (quamuis hoc non sit necessarium) censet tamen non fuisse vniuersaliores.

24
Species hæc erant perfectiores & vniuersaliores quàm supremi Angeli.

Sed Probatur; Consentaneum erat vt Anima Christi haberet altiore & vniuersaliorè modum intelligendi omnia in proprio genere, seu per cognitionem vespertinam; quàm Angeli illisque antecelleret, non modo in claritate, sed etiam in generalitate intelligendi. Ergo &c.

Dices, Consentaneum erat vt Anima Christi superaret Angelos in perfectionibus supernaturalibus, non tamè in ijs quæ Angelis erant naturales: atqui hæc scientia infusa est Angelis naturalis: ergo in eâ Christus non debebat excellere.

Sed

Solutur.
Hac Christi
scientia
non erat
Angelis
connatura-
lis.

Sed contrà; hæc scientia fuit perfectior & altioris ordinis, quàm scientia Angelica (vt ostensum est art. 4.) ergo non est Angelis connaturalis, imò nec potest esse connaturalis alicui creaturæ: quia per hanc cognoscuntur mysteria supernaturalia, & futura contingentia, quæ à nulla creatura naturaliter cognosci possunt. Ergo sicuti reliqua dona supernaturalia in Christo sunt multò excellentiora, quàm in Angelis; ita etiam tota hæc scientia, & ratione luminis, & ratione specierum intelligibilium. Confirmatur; quia lumē huius scientiæ est efficacius, & altioris ordinis; quàm lumen naturale Angelicum: ergo & species intelligibiles illi proportionatæ, sunt perfectiores & vniuersaliores. Nam species intelligibiles accommodantur, & vcluti adæquantur lumini, cui deseruiunt; non autem perfectioni naturali intellectus.

Obiectio.
Species illæ
erant su-
pernatural-
es.
Solutur.

Dices Secundò, Hæc scientia est tantum supernaturalis ratione luminis, non autem ratione specierum intelligibilium; sicut patet in fide & in prophetia. Sed contrà; hinc sequeretur hanc scientiam esse valde imperfectam, & quasi dimidiatam: eum enim duo requirantur ad perfectam cognitionem, scilicet lumen, & species lumini proportionatæ; hæc scientia constaret dumtaxat lumine, & careret proprijs speciebus sui ordinis. Vnde Christus per hanc scientiam nihil supernaturale perfectè & distinctè cognosceret. Nec valet similitudo de fide & prophetia; quia sunt cognitiones imperfecte, & assensus seu iudicium in his tantum est supernaturale; apprehensio autem est naturalis & imperfecta per conceptus extrinsecos & conotatiuos, id est, haustus ex rebus sensibilibus. Nec obstat Ratio D. Thomæ: quia etiamsi perfectiones naturales accommodentur naturæ; supernaturales tamen non semper naturæ angustijs & humilitati accommodantur; sed subleuant interdum naturam ab imperfectione naturali, ad suam perfectionem & sublimitatem; vt patet in lumine gloriæ. Quòd si istæ species deberent accommodari naturali capacitati mentis humanæ, non possent repræsentare omnia indiuidua, proprietates, & accidentia vnius naturæ specificæ; quod tamen vult D. Thomas iuxta expositionem Caietani.

DVBIVM I.

Vtrum Lumen huius Scientiæ sit etiam multiplex instar specierum?

25
Lumen
erat sim-
plex.

Respondeo; Hoc lumen esse tantum vnicum, & vnum numero habitum. Ita D. Thomas hic ad 3. Et clarius in 3. dist. 14. a. 3. quæstionc. 4. & alij passim.

Ratio Est; quia quòd lumen est altius, eò plura potest attingere: Sicut patet in lumine naturali Angelico, quod etsi vnum sit, tamen per varias species plurima potest cognoscere, non solum spiritalia, sed etiam corporalia: ergo multò magis lumen supernaturale, quod non solum est habitus quidam, sed etiam potentia quædam supernaturalis tribuens posse; poterit se ad omnia spiritalia & corporalia, naturalia & supernaturalia extendere. Quod etiam potest confirmari exemplo fidei & charitatis, quæ ad plurima se extendunt, etsi in se sint simplices habitus.

DVBIVM II.

Vtrum hæc Scientia Infusa habeat vnum actum sibi adæquatam?

Respondeo; Non habere vnum, sed successiue plures distinctos numero vel specie: simul autem habet vnum actum perfectum, vni speciei intelligibili adæquatam.

26

Prior Pars probatur, Quia omnia corporalia & spiritalia, omnia naturalia & supernaturalia, omnes substantiæ & accidentia, non possunt vnico actu clarè & distinctè cognosci; præsertim cum non cognoscuntur in aliquo superiore obiecto; sicut in essentia diuina: atqui ad hæc omnia hæc scientia se extendebat. Adde hoc esse proprium lumini gloriæ, vt habeat vnum actum sibi adæquatam, quo ad omnia sua obiecta se extendat.

Non erat
vnius actus

Secunda Pars patet, Quia actus huius scientiæ sunt varij: alij enim sunt intuitiui, alij abstractiui; alij à priori, alij à posteriori; alij in testificante, alij in reipsa. Valde autem probabile est numquam hanc scientiam esse otiosam, sed semper in aliquo actu; sicut scientia Angelica.

Sed varij.

Tertia Pars patet, quia species infunduntur in ea vniuersalitate, vt commensurentur luminis efficacitati; & tantum repræsentant, quantum lumen se potest simul vnico actu extendere (hec enim alia conueniens ratio dari potest limitationis specierum:) ergo actus adæquatus vni speciei, est adæquatus lumini, quatenus in vnum actum potest se ctere, seu excitare; ac proinde lumen habens illum actum, non potest habere alium perfectum. Quæ omnia confirmari possunt exemplo cognitionis Angelicæ.

Actus per-
fectus erat
vni sue
speciei ad-
æquatam.

DVBIVM III.

Quale sit hoc Lumen scientiæ Infusæ?

Respondeo; Probabile est, non esse reipsa distinctum à lumine gloriæ; sed esse ipsummet lumen beatificum, quatenus vtitur speciebus intelligibilibus ad cognoscendas res in proprio genere, per cognitionem vespertinam. Sicut enim lumen naturale Angelicum primò & necessariò fertur in ipsam essentiam Angelicam, cui ipsum est naturale, & in ea quæ in essentia continentur; secundariò autem per species intelligibiles fertur in alia obiecta spiritalia & corporalia: ita lumen beatificum quod est participatio suprema luminis diuini, primò & necessariò fertur in essentiam diuinam, tamquam primarium obiectum sibi connaturale, simul attingens ea quæ in ipsa, vt in causa continentur; secundariò autem per species intelligibiles fertur in alia obiecta tum supernaturalia, tum naturalia.

27
Non differt
à lumine
gloriæ.

Ratio est; Quia quòd lumen est sublimius, eò ad plura se extendit; vt patet inductione. Et confirmari potest exemplo luminis Angelici, quod non solum ad spiritalia, sed etiam ad corporalia se extendit. Itè exemplo charitatis, quæ etsi primariò diligit Deum, & bonitatem increatam; tamen secundariò fertur etiam in bonitatem creatam, tum supernaturalem, tum etiam naturalem. Contrarium tamen etiam probabiliter defendi potest; scilicet, lumen huius scientiæ à lumine beatifico distinctum esse.

Quòd lumen
est subli-
mius eò ad
plura se
extendit.

Negari Tamen non potest, quin lumen beatificum etiam se ad res creatas extendat.

Vide l. 2. de
Summo bo-
no c. 10. n.
73.

QVÆST.